

Barbosa, cit. cap. xv. n. 183; Garcias, d. part. XI. cap. iv. n. 85. et seqq. et alii, post Rotam in Casalensi beneficiorum, 10 decemb. 1627, coram D. Merlino. Licet enim nonnulli velint quod admissio renuntiationis beneficiorum ex causa permutationis, contineat in se tacitam eorum collationem reciprocam: tamen tutius est, et consultius, quod fiat expressa renuntiatio, et collatio: prout post Hostiensem, c. *Ex ore. De his, quæ fiunt a majori part. capit.* notat Federicus de Senis, *Tractatum tom. XV, tract. de Permutat. beneficiorum*, quæst. 27, n. 44 asserens sic servare consuetudinem.

98. *Per eundem ordinarium, vel ejus superiorem facienda.* — Deinde id dicitur ex eo: quia nova collatio beneficiorum ex causa permutationis, fieri debet per eundem ordinarium, aut superiorem ipsius, qui resignationem admittere potuit, et admisit: non vero per inferiorem, utpote qui permutationem approbare non potest, sicque nec in vim ipsius conferre, arg. c. *Quæsitum. de Rerum permut.* ac notat Abbas, ibid. n. 9. post Joan. Andream et Federicus de Senis, loc. cit. quæst. 32. n. 56; Rebuffus, ubi supra, n. 20. Garcias, cit. part. II, cap. iv, n. 68, cum aliis.

99. *Etiamsi cæteroquin collatio spectet ad inferiorem.* — Nec obstat, quod cæteroquin collatio talium beneficiorum spectet ad aliquem inferiorem. Non obstat, inquam; quia adhuc totum expediet ordinarius loci, consentientibus tamen eo, cui alioquin jus conferendi competeat, et aliis interesse habentibus. Glossa in Clem. un. 7. *Conferantur de Rerum. permutat.* ac notat Imola, ibid. § *Juxta hoc.* Neque hinc ullum sequitur inconveniens, cum ordinarius, qui admisit permutationem, solus ac simpliciter non conferat, sed consentientibus simul illis, quorum interest. Federicus de Senis, cit. quæst. 32.

100. *Permutatio beneficii debet fieri cum beneficio, non cum pensione.* — Resp. II. Ut permutatio beneficiorum ab episcopo admitti, et approbari possit, generatim sequentia septem requiruntur. I. Ut fiat permutatio beneficii cum beneficio, non autem beneficii cum pensione. Ita Barbosa, lib. III. *de Jur. ecclesiast. univ.* cap. xv. n. 178. Ratio est: quia episcopus in jure solum est permissum, ut concedere atque approbare possint permutationes beneficiorum; ergo secus dicendum de permutatione beneficii cum pensione. Hæc enim materia est odiosa, simulque generaliter in

beneficiis quælibet pactio est prohibita; ac proinde facultas permutandi beneficia episcopis concessa a jure non est extendenda ultra proprietatem verborum ad permutationem beneficii cum pensione, arg. c. *Cui de non. 27. de Præbend.* in 6.

101. *Alia ejus requisita breviter referuntur.* — II. Ad permutationem beneficiorum requiritur justa causa per episcopum dijudicanda. III. Consensus patroni, et aliorum, quorum interest. IV. Nova collatio beneficiorum sic vacantium; prout paulo superius jam dictum, n. 93. et seqq. V. Ut ejusmodi permutatio, et collatio fiat pure, hoc est, sine imposita pensione, vel alio onere: alioquin per episcopum approbari nequit, juxta proxime dicenda, num. 104. et seqq. VI. Ut litteræ permutationis simul expediantur. Rota, decis. 7. *de Consuetud. in antiq.* Barbosa, loc. cit. n. 185. VII. Ut antequam possessio accipiatur, publicatio talium permutationum fiat in Ecclesiis permutatis, juxta dicenda inferius § 6. numer. 134. et seqq. quanquam consuetudine contraria quarundam diœcesium hoc ultimum non ubique observetur.

102. *Possunt clerici ante permutationem prius de ea inter se tractare.* — Resp. III. Licet clerici propria auctoritate nequeant inter se beneficia sua permutare, neque permutationem concludere, ut dictum; nihilominus possunt idem licite inter se tractare, et convenire de mutatione facienda, si erit accessura auctoritas superioris, in cujus manibus ea resignare intendunt. Ita Abbas in cit. c. *Quæsitum*, num. ult.; Rebuffus, cit. tit. *de Permutatione*, n. 52; Pirhing, tit. *de Rerum permutat.* n. 21 et alii. Ratio est: quia talis prævius tractatus est medium moraliter necessarium ad permutationem faciendam, ne alioquin hanc intendens, cæco modo suum beneficium permutare cogatur cum beneficio alterius, ignorans, an ille ad hoc habeat animum: atqui concessio sine, ut puta, permutatione beneficiorum, censentur etiam concessa media, sine quibus finis commode obtineri nequit, arg. c. *Præterea. 3. de Offic. delegat. cum similibus.*

103. *Solvitur instantia ex c. Cum universorum, de Rerum permutat.* — Nec obstat c. *Cum universorum. 8. de Rerum permutat.* juncta Glossa. 7. *Tractare*, asserente, quod non licet possessoribus præbendarum de earum permutationibus tractare. Resp. enim ibi non improbari præcise tractatum de permutando, sed tractatum completum, sive per-

mutationem propria auctoritate ab utraque parte jam conclusam: talem autem non licere, ulro fatetur conclusio. Utrum vero in tali casu licitum sit, pro beneficio minus pingues redditus habente refusionem pecuniarum petere, et pacisci, commodius dicitur alibi, videlicet tit. *de Rerum permutatione*; quanquam de hoc etiam jam egerim in *Theologia morali*, tract. II, distinct. 2, quæst. 5, num. 48 et seqq.

104. *An sit licitum resignare beneficium reservata annua pensione? Remissive.* — Posset hoc loco ulterius quæri, an sit licitum resignare beneficium ecclesiasticum reservata annua pensione? Verum hæc materia commodius tractatur, atque præsens quæstio examinatur, lib. III. tit. XIII. « Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur: » ibi quippe de pensionibus ex professo tractari solet.

§ V.

DE RENUNTIATIONE BENEFICII IN FAVOREM TERTII.

105. *Renuntiatio beneficii in favorem tertii, seu cum clausula Non aliter, non continet simoniam juris divini, sed potest fieri in manus Summi Pontificis.* — Quæritur I. An illicita, quin et simoniaca sit resignatio beneficii in favorem tertii, seu cum clausula *Non aliter*? Resp. I. Certum est, quod resignatio hujusmodi non contineat simoniam juris divini, eo quod in ea non detur aliquid spirituale pro temporali: ac proinde, quod ipsa possit fieri in manus Summi Pontificis, et si ab ipso admittatur, sit valida, careatque omni labe simoniæ. Ita Glossa c. *Cum pridem. 7. Illicite de Pactis. communiter recepta*; idque confirmat stylus Curie, tales resignationes accedentibus aliis justis causis non raro admittentis. Accedit ratio: quia, licet resignatio beneficii in favorem tertii quamdam præ se ferat speciem simoniæ, sitque de jure prohibita, prout in progressu amplius dicitur; hæc tamen prohibitio, sicut et simonia, est juris dumtaxat ecclesiastici: atqui in jure ecclesiastico potest Papa de plenitudine potestatis dispensare, c. *Proposuit. 4. de Concess. præbend.* sicque sua auctoritate ejusmodi simoniam purgare, ac veluti sol tenebras dispellere; prout loquitur Lessius, lib. II. *de Just. et jur.* cap. xxxv. n. 84.

106. *Utrum ipsa facta in manus episcopi*

contineat simoniam juris ecclesiastici, variant doctores. *Sententia negativa probatur.* — Resp. II. Utrum resignatio beneficii in favorem tertii, seu cum clausula *Non aliter*, facta in manus episcopi, vel alterius Papa inferioris, contineat simoniam juris ecclesiastici, variant doctores. Et quidem sententiam negativam tenet Covarruvias, lib. I, *Var. resol.* cap. v, n. 5; Lessius, cit. cap. xxxv, n. 86; Pirhing, h. t. n. 89, citans insuper Suarez, lib. IV, *de Simonia*, cap. xxxv, n. 2, atque ex professo docet Barbosa, lib. III, *Jur. eccles. univ.* cap. xv, n. 54, ubi resolvit prædictam resignationis formam, attento juris rigore, non esse simoniacam, nec transgressores tanquam simoniacos puniendos, sacris tamen canonibus inimicam esse. Fundatur isthæc sententia in eo: quia in tali resignatione nulla proprie intervenit pactio, sed solum fit resignatio beneficii sub conditione, quam si prælatus non acceptat, nihil actum est; prout in simili renuntiatio beneficiorum ex causa permutationis solet fieri in manus episcopi, atque per eum admissa nullam involvit pactionem, neque simoniam. Accedit, quod simonia juris ecclesiastici non inducatur, nisi in casibus a jure expressis, juxta Glossam notabilem in c. *Ex parte, 12, 7. Dimitti. de Offic. delegat.* Atqui nulla constitutio canonica potest ostendi, per quam talis resignatio in favorem tertii damnatur veluti simoniaca, dummodo nulla alia pactio interveniat; ergo.

107. *Simul tamen limitatur.* — Additur tamen, « dummodo nulla alia pactio interveniat. » Nam, ubi intervenit alia pactio, qua vel episcopus antecederet promittit resignaturo, sese admissurum resignationem, atque beneficium illi tertie personæ collaturum; vel ipsemet resignatarius expresse, aut tacite sese obligat ad idem beneficium post aliquod tempus denuo resignandum ipsimet resignanti, vel conferenti, aut alteri tertie personæ; prout accidit in simonia confidentiali, damnata per Pium IV, in constitutione 83, quæ incipit, *Romanum Pontificem*: estque innovata per constitutionem 83 beati Pii V, *Intolerabilis*, quando inquam, ejusmodi pactio intervenit, tunc ulro fatentur hujus sententiæ auctores memoratam renuntiationem fore simoniacam simonia juris ecclesiastici; uti videre est apud Pirhing, cit. n. 89. Generaliter enim hujusmodi pactiones illicitæ, atque conventiones onerosæ circa beneficia, a jure ecclesiastico damnantur.

veluti continentes speciem simoniæ: ut c. *Quæsitum*, §, de *Rerum permutat.*, et c. *Constitutus*, 4, de *Transact.* et alibi. Atque hæc opinio taliter declarata, seu limitata valde est probabilis: potestque deservire pro foro interno, et ante sententiam iudicis.

108. *Affirmativa sententia est communior, ac pro foro externo retinenda.* — Oppositam nihilominus sententiam, videlicet, quod memorata renuntiatio in favorem tertii contineat simoniam jure ecclesiastico prohibitam, communiter tenent cæteri doctores; ut Glossa in c. *Dilecto*, § *Resignavit*, de *Præbend.*; Felin. c. *Ad audientiam illius* 2, n. 3, de *Rescript.*; Rebuffus in *Praxi benefic. tit. de Renuntiat. conditional.* n. 1; Navarrus, cap. xxiii *Manual.* n. 107, § *Ad decimum*; Flamin. Parisius, lib. XIII, de *Resignat.* quæst. 3, n. 12, asserens ita scribere omnes fere doctores. Nicol. Garcias, part. XI, de *Beneficiis*, cap. III, § 2, n. 152, allegans pro hac sententia Rotam, decis. 146, lib. II, et decis. 92, lib. III, part. III, divers. et decis. 263, n. 2, part. II, et decis. 666; noviss. Farinac. ipsumque stylium Curie, una cum plurimis auctoribus, quos longum esset recensere. Atque ex his liquet, hanc sententiam pro foro externo prævalere, et a iudicibus in praxi fore retinendam.

109. *Ejusque fundamentum.* — Accedit ratio: quia in resignatione, et collatione beneficiorum, oportet, « ut omnis absit pactio, omnis cesset conventio; » prout loquitur Bonifacius papa, relatus in can. *Quam pio*, I, q. 2, juncto cap. ult. de *Pactis*. Atqui hujusmodi pactio, sive conventio intervenit, vel saltem in foro externo præsumitur intervenire, dum quis suum beneficium resignat, sed non aliter, nisi ut huic tertio a se nominato conferatur; ergo. Accedit, quod collatio beneficiorum debeat esse libera, non solum ab omni pactione, sed etiam ab omni conditione, vel modo, arg. c. *Ex parte*, 12, juncta Glossa, § *Omnino de Offic. delegat.*; Felinus, c. *Ad audientiam illius*, 2, n. 3, de *Rescript.*; Flamin. Parisius, cit. quæst. 3, n. 1; Garcias, ubi supra n. 143, et alii copiose ab his allegati. Insuper collatio beneficium regulariter (demptis videlicet casibus a jure expressis) ita debet esse libera, ut dependeat a mera voluntate collatoris digniorem præficiens, arg. can. *Licet*, 8, q. 1, et can. *Dilectissimi*, 8, q. 2, cum similibus: atqui non est taliter libera collatio beneficium, si fiat in favorem certæ personæ cum clausula *Non aliter*; ergo. Unde ulterius

110. *Resignatio beneficium in favorem tertii, nequit fieri coram episcopo.* — Resp. III. Resignationes beneficiorum in favorem tertii, seu cum clausula *Non aliter*, non possunt fieri coram episcopo, vel alio collatore Papa inferiore, neque ab hoc approbari, seu admitti. Ita Rebuffus, loc. cit. n. 2, istud extendens ad Legatum a latere, nisi super hoc expressam a Papa obtinuerit potestatem. Lessius, cit. cap. xxxv, n. 86 et 87; Barbosa, lib. III. *Jur. eccles. univ.* cap. xv, n. 58; Pirhing, h. t. n. 89, ac præter auctores pro secunda sententia, n. 108, allegatos; Engel, h. t. n. 8, citans communem omnium doctrinam, et in praxi observatam; quamvis contrarium senserint Covarruvias, lib. I *Var. resolut.* cap. v, n. 5; Soto, lib. IX, de *Just. et jur.* q. 7, art. 2, et alii pauci per Garciam, cit. part. XI, cap. III, n. 153, in oppositam sententiam allegati. Ratio est: quia hujusmodi resignationes in favorem tertii, seu cum clausula *Non aliter*, vel continent simoniam juris ecclesiastici, ut tenet sententia cit. num. 108, relata, et a stylo Curie recepta, communiorique doctorum calculo firmata; vel saltem aliunde in jure est prohibita; ut can. *Plerique*, 8, q. 1, ubi Hilarius Papa in concilio Romano aperte reprobat renuntiationem beneficium in favorem tertii, seu designationem successoris in ipso; cum similibus. Idipsum amplius confirmat constitutio 58 beati Pii V, quæ incipit, *Quanta Ecclesie* (ac refertur tom. II. *Bullarii Romani*), in qua quævis designatio futuri successoris in beneficio per resignantem facta, aut promissio de ipso admittendo inter resignantem et episcopum intercedens, gravissime prohibetur.

111. *Beneficia ecclesiastica non sunt hæreditario jure, vel specie hæreditariæ successionis referente, transferenda.* — Accedit, quod beneficia ecclesiastica jure hæreditario, vel speciem hæreditariæ successionis referente, non sint vendicanda, vel transferenda; can. *Apostolica*, 8, q. 1, et c. *Ad extirpandas successiones, de Filiis presbyt.* juncto concilio Trident., sess. 25, cap. VII, de *Reformat.*; neque ea sint conferenda ex affectu humano, vel ad preces aliquorum, sed solum dignioribus, sive iis, qui plus Ecclesie prodesse cognoscuntur, can. *Moses*, 8, q. 1, et *Grave nimis*, 29, de *Præbend.* cum similibus. Atqui hæc omnia corruerent, si resignationes beneficiorum in favorem certæ personæ, seu cum clausula *Non aliter*, coram episcopo, vel alio

Papa inferiore fieri, sive admitti possent; ergo. Minor patet ex eo: tum quia tales resignationes quamdam præ se ferunt speciem hæreditariæ successionis, adeo sacris canonibus odiosæ, dum unus post alterum successively posset resignare beneficium in favorem certæ personæ; tum quia hac ratione lata porta aperiretur innumeris abusibus conferendi beneficia, non secundum dignitatem ac merita personarum, sed ex gratia vel amore, aut ex respectu sanguinis, obsequiorum temporalium, aliorumve mundanorum motivorum. Merito proinde renuntiationes beneficiorum in favorem tertii coram prælati Papa inferioribus censentur prohibita, et in praxi neququam admittendæ.

112. *Simpliciter resignando beneficium licet certam personam episcopo recommendare, ut istud huic conferat.* — Resp. IV. Si quis tamen simpliciter resignet, et per modum recommendationis potius, quam rigorosæ obligationis, episcopo certam aliquam personam nominet, spectato jure canonico non est prohibitum, quin episcopus possit personæ commendatæ, si cæteroquin idonea fuerit, ejusque qualitas mereatur, beneficium illud conferre. Ita Zæsius, tit. de *Simonia*, n. 72; Covarruvias, lib. I. *Var. resolut.* cap. v, n. 5, et Engel, n. 8, h. t. Idque desumitur ex c. *Cum universorum, de Rerum permutat.*, et c. *Ex parte*, 12, de *Offic. delegat.* ubi similes resignationes leguntur, nec tamen ex hoc capite reprobandantur, quamvis ex aliis rationibus non tenerint.

113. *Sed tunc episcopus non est astrictus huic conferre.* — Notandum vero est cum citatis auctoribus, quod facta ejusmodi resignatione pure, ac simpliciter, in manus ordinarii, non obstante, quod preces pro aliquo offerantur, nihilominus episcopus non sit adstrictus, ut huic conferat beneficium; neque injuriam faciat nominato, si alteri conferat. Cum enim resignatio in favorem tertii sit jure prohibita; non potest illi nominato jus aliquod ex ea nominatione, seu precum interpositione acquisitum fuisse; et consequenter neque injuria per denegatam collationem irrogari. Attamen non peccabit episcopus, si conferat beneficium nominato, pro quo preces sunt oblata, dummodo personæ qualitas mereatur; et hoc spectato jure canonico, sive antiquo, quod notanter additur.

114. *Quid juris circa hoc post bullam beati Pii V, Quanta Ecclesie?* — Fatendum quippe est, quod beatus Pius V, in cit. constitutione

58. *Quanta Ecclesie*, imprimis § 4, cavendum episcopis voluerit, ne in resignatione beneficiorum, « verbo, aut nutu, vel signo futuri in hujusmodi beneficiis et officiis successores, ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione, vel hortatu designentur, aut de his assumendis, promissio inter eos vel etiam intentio qualiscumque intercedat. » In qua bulla § 5, idem Pontifex ulterius prohibuit, atque interdixit « ne episcopi, aut alii collatores, de beneficiis et officiis resignandis prædictis, aut suis, aut admittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus valeant providere: » idque sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Summoque Pontifici reservatæ, aliisque gravissimis pœnis, ibidem jam promulgatis. Unde manifestum est, quod inhærendo rigori memoratæ bullæ beati Pii V, data conclusio amplius locum non habeat. Verumtamen hæc prohibitio non habetur inserta juri canonico, de quo loquitur conclusio: simulque in casibus particularibus considerandum est, an rigor ejusdem Extravagantis in tali, vel tali loco, fuerit usu receptus, nam dictam bullam non ubique receptam esse, tanquam ordinariorum facultates multum restringentem, post Zypæum in *Annal. jur. Pontif.*, tit. de *Renuntiat.* n. 1, et Layman, lib. IV, *Theolog. moral.* tract. II, cap. XVII, de *Beneficiis*, n. 6, notat Ludov. Engel. tit. de *Filiis presbyt.* n. 3, et Garcias, de *Beneficiis*, part. XI, cap. III, n. 270, ubi hoc ipsum refert pro Hispania. Verum occasione memoratæ constitutionis Pianæ,

115. *An, ubi hæc est recepta, resignans ex intentione, ac precibus interpositis, ut certe personæ beneficium conferatur, et ordinarius huic conferens, committat simoniam confidentialem?* — Petes. Utrum post bullam beati Pii V, proxime relata, et ubi ipsa est recepta, resignans ea intentione ac spe, precibusque interpositis, ut beneficium certæ personæ conferatur, et ordinarius postmodum personæ illi conferens, committat simoniam confidentialem, sicque uterque subiaceat pœnis simoniacorum? Resp. negative. Siquidem simonia confidentialis non incurritur sine pacto expresso, vel tacito, modo, aut conditione: atqui, ubi quis simpliciter resignat, et solum recommendat certam personam, nullum horum intervenit; ergo. Garcias, cit. part. XI, de *Beneficiis*, cap. III, numer. 165 et 166, allegans complures decisiones Rotæ; Flam. Parisius de *Confidentia*, quæst. 26 et 27, cum aliis.

116. *Peccabit mortaliter tum resignans, tum ordinarius dicto modo conferens.* — Peccabit tamen mortaliter tum resignans, tum ordinarius, in loco receptæ bullæ Piana dicto modo conferens beneficium personæ recommendatæ: ageret enim quilibet eorum contra expressam prohibitionem beati Pii V, in citata, et in suis partibus recepta bulla, sub gravissimis censuris ac pœnis promulgatam et quidem in materia gravi, qualis est beneficiorum.

117. *Constitutio Piana non procedit in beneficiis juris patronatus.* — Solum adde, quod dicta constitutio Piana non procedat in beneficiis juris patronatus: in his quippe de jure communi debet institui presentatus a patrono, dummodo cæteroquin sit idoneus. Atque ita declaravit Gregorius XIII, cujus declarationem refert Pyrrhus Corradus, lib. V, *Praxis beneficiarum*, cap. I, num. 50, vers. *Est tamen*, et Garcias cit. part. XI, cap. III, n. 268.

118. *Ubi ipsa est recepta, nequit episcopus ad concursum parochialis Ecclesiæ admittere suos, vel resignantium consanguineos, etc.* — Petes ulterius occasione § 5, citatæ bullæ beati Pii V: An, ubi ipsa est recepta, possit episcopus admittere ad concursum parochialis Ecclesiæ, in suis manibus resignatæ, suos vel resignantium consanguineos, affines, vel familiares? Resp. negative: prout censuit sacra Congregatio concilii anno 3, beati Pii V, kalendis aprilis; atque ex ejus sententia declaravit Gregorius XIII, ac refert Nicol. Garcias, part. IX, *de Beneficiis*, cap. II, n. 211. Qui tamen illico, numer. 212, subjungit istud non procedere in vacatione per obitum, vel alias; prout fuit resolutum in una civitatis Castellæ, parochialis, 16 junii 1589, coram D. Orano; et in una Favent. parochialis, 28 jun. 1596, coram D. Corduba.

119. *Potest tamen conferre beneficium resignatum uni familiarium sui vicarii generalis.* — Nihil tamen impedit, quominus beneficium in manibus ejus resignatum possit episcopus conferre alicui ex familiaribus sui vicarii generalis, etiamsi comedat cum familiaribus prædicti episcopi. Pyrrhus Corradus, cit. n. 50, vers. *Ex eodem*, addita hac ratione: quia (inquit) familiaritas non contrahitur ex sola commensalitate: sed requiritur, ut adsit animus tam superioris, quam famuli; prout ex Crescentio decis. 15, alias 106, *de Præbend.* concludit Massobrius in *Praxi habend. concurs. requis. 7, dub. 3.*

120. *An facta renuntiatione cum clausula non*

aliter, possit episcopus rejecta conditione, veluti turpi, beneficium conferre, cui voluerit? Sententia affirmativa probatur. — Quæritur II. An facta renuntiatione beneficii in favorem tertii cum clausula *Non aliter*, possit eandem episcopus acceptare, et rejecta conditione tanquam turpi, conferre beneficium, cui voluerit? Affirmant multi doctores, ac præsertim Covarruvias, loc. cit. asserens hanc esse communem sententiam. Rationem dant: quia clausula illa de jure habetur pro non adjecta, cum resignatio in spiritualibus pure fieri debeat. Unde similiter conditiones turpes, aut impossibiles, in matrimonio appositæ, habentur pro non adjectis, cap. ult. *de Conditionib. appositis*. Idem fit in testamentis, ut dicitur l. *Obtinuit. ff. de Condit. et demonstrat.* ibi: «Obtinuit impossibiles conditiones testamento adscriptas pro nullis habendas,» cum concordantiis. His tamen non obstantibus,

121. *Sententia negativa est probabilior.* — Resp. I. Probabilius est, in dicto casu, episcopum non posse ejusmodi conditionem rejicere, ipsamque resignationem simpliciter acceptare. Ita Rebuffus in *Praxi benefc.* tit. *de Resignatione conditionali*, n. 7, et seqq. citans alios; Lessius, lib. II, *de Just. et jur.* cap. xxxv, dubit. 14, n. 86; Zæsius, tit. *de Simonia*, n. 73; Barbosa, lib. III, *Jur. Eccles. univ.* cap. xv, n. 46; Garcias, cit. part. I, cap. III, n. 153; Pirhing, h. t. n. 78, et alii plures. Ratio est, quia actus sub conditione celebratus, conditione non impleta, nullum operatur effectum, arg. § *Ex conditionalis stipulatione. Instit. de Verbor. obligat.* et l. un. § *Sin autem. C. de Caducis tollend.* Suspenditur enim ejus valor usque ad eventum conditionis, l. *Is cui. ff. de Actionib. et obligat.*, et l. *Legata sub conditione ff. de Condit. et demonstrat.* Ergo in proposito, si conditio rejiciatur, nulla censetur facta renuntiatio; eo præsertim, quia actus agentium non operantur ultra intentionem eorum, l. *Non omnis. ff. de Rebus creditis*; Barbosa, axiomat. 12, n. 7. Accedit, quod nullo jure probetur, in tali casu conditionem haberi pro non adjecta: quinimo conditiones de jure, vel facto impossibiles, in aliis contractibus (excepto matrimonio, et testamentis) non vitiantur, nec habentur pro non adjectis, sed potius vitiant contractum; uti liquet ex l. *Non solum. ff. de Actionib. et obligat.*

122. *Solvuntur rationes prioris sententiæ.* — Nec obstant rationes oppositæ sententiæ et

n. 120, allatæ. Ad primam enim negatur assumptum: quia licet de jure resignatio beneficii debeat esse pura; hinc tamen non sequitur, quod si aliqua conditio apponatur, ea habeatur pro non adjecta; sed solum, quod talis resignatio per Papa inferiorem non possit admitti, neque acceptari. Ad allegata jura respondetur ibi sermonem esse vel de matrimonio, vel de testamentis, ubi propter singularem favorem ultimarum voluntatum, et matrimonii, conditiones turpes, aut impossibiles, habentur pro non adjectis: secus est in aliis contractibus, vel actibus, ut est resignatio beneficii conditionalis; prout amplius, tit. *de Conditionibus appositis*, dici solet.

123. *Renuntiatio reciproca, triangularis, et quadrangularis beneficiorum, quid?* — Quæritur III. An licita sit renuntiatio beneficiorum ecclesiasticorum reciproca, triangularis, et quadrangularis? Ubi sciendum, quod per «Renuntiationem reciprocam» impræsentiarum non intelligatur ea, per quam duo beneficiarii causa permutationis vicissim, ac reciproce, resignant sua beneficia in manus superioris (hanc enim esse licitam, patet ex hactenus dictis), sed per «Resignationem reciprocam» hic intelligitur ea, quando plures conveniunt, ut ipsi reciproce resignationem beneficiorum in suos: puta, si ego resigno beneficium meum in favorem tui nepotis, ut tu vicissim resignes tuum beneficium in favorem mei nepotis; prout explicat Lessius, lib. II, *de Just. et jur.*, cap. xxxv, num. 87, atque amplius liquet ex concilio Trident., sess. 23, *de Reformat.*, cap. xv, ubi reprobatur reciprocas resignationes, quæ a parentibus clericis in favorem filiorum fiunt, ut alter alterius beneficium consequatur. Cæterum «Resignatio triangularis, vel quadrangularis» dicitur illa, qua tres, vel quatuor simul resignant sua beneficia, ea conditione, sive pacto, ut primus resignet suum beneficium secundo, et secundus suum tertio, et tertius suum quarto quartus suum primo. His prænotatis,

124. *Tales renuntiationes beneficiorum nequeunt fieri, nisi in manus Summi Pontificis.* — Resp. I. Quandoquidem tales renuntiationes fiant in favorem tertii, seu cum clausula *Non aliter*: simulque involvant pactionem quamdam præviam, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ, cit. c. *Quæsitum*, 5, *de Rerum permutat.* Hinc ejusmodi renuntiationes beneficiorum reciprocæ, triangulares, et quadran-

gulares, non possunt fieri, nisi in manibus Summi Pontificis. Ita concilium Trident., cit. sess. 25, cap. xv, *de Reformat.*, reprobans dictas resignationes reciprocas. Barbosa, lib. III, *Jur. eccles. univ.*, cap. xv, n. 120 et 163; Lessius, cit. c. xxxv, n. 87 et 88; Angelus, §. *Permutatio*, num. 4; Navarrus, cap. xxiii, *Manual.*, num. 10, et consil. 43, *de Simonia*; Gonzalez, ad reg. 8 *Cancellar. Gloss.*, 14, n. 58; Carolus Antonellus, *de Regimine ecclesiæ episcopalis*, lib. III, cap. xi, num. 8; Sannig, h. t., cap. v, n. 5, et alii. Huc faciunt dicta superius, n. 108 et seqq.

125. *Quid consilii ita renuntiare volentibus?* — Resp. II. Licet talis permutatio reciproca in favorem tertii, seu triangularis, prævia pactione non possit fieri coram ordinario Papa inferiore, poterunt tamen ita resignare volentes inter se prius tractare, et postmodum simpliciter resignando recommendare suum tractatum superiori, ejusque dispositioni ipsum subicere. Ita desumitur ex c. *Super eo*, 7, *de Transactionib.*, ac tenet Angelus, loc. cit. n. 4, et favent dicta paulo superius, n. 102 et 112.

126. *Quid consilii ita renuntiare volentibus?* — Insuper poterunt illi, qui triangularem resignationem instituere cogitant, per geminatam permutationem coram ordinario factam, suum intentum obtinere: puta, si ego ex causa permutationis resignem meum beneficium cum beneficio Pauli, atque hoc facto dicitur beneficium rursus permutem cum beneficio Andreæ: sic enim secundus acquirit beneficium primi, sive meum, et tertius beneficium secundi, et ego veluti primus beneficium tertii. Lessius, loc. cit. num. 88.

§ VI.

DE PUBLICATIONE RESIGNATIONIS, HUIUSQUE EFFECTIBUS; UBI ET DE DIVISIONE FRUCTUUM INTER RESIGNANTEM ET RESIGNATARIUM.

127. *Publicatio resignationum, juxta constitutiones apostolicas est facienda; et cur?* — Quæritur I. An, et qualiter publicandæ sint renuntiationes beneficiorum? Resp. I. Attentis constitutionibus Apostolicis, certum est faciendam esse publicationem resignationum circa ecclesiastica beneficia peractarum, et quidem sub forma in eisdem expressa: adeo, quod alioquin provisio de ipsis facta existat invalida, nulliusque roboris ac momenti. Patet hoc ex constitutione beati Pii V, quæ in-